



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quest. 2. Super que[m] ædificabit Ecclesia[m] sua[m]?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

*siam meam, & porta inferi non
præualebunt aduersus eam.*

QVÆSTIO I.

*Cur dicit: Et ego dico tibi, quia tu es
Petrus?*

Petrus.

§. 1. GRÆCA habent *Καὶ ἐγὼ λέγω*; sed & ego dico tibi, particula *καὶ* à quibusdam libris abest, noster interpret non legit. Syrus habet *ܐܢܬܐ*, etiam, itaque nostro more legit. His tanquam solennibus verbis diuina prouidentia fundamentum Hierarchiæ Ecclesiasticæ posuit: magnam enim vim habent illa verba: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus. Certe hoc quilibet dicere illi potuit, qui nomen eius nosset, at Christus magnum in eius nomine mysterium esse indicat, ac si dicat. Tu es ille Petrus super quem Ecclesiam edificabo. Iustinus quoque de veritate Christianæ religionis: Atque ex discipulis suis unum Christum, Simonem prius nominatum Petrum appellauit, quod se per Patrum, sui reuelationem Dei filium esse cognouerit. Prius scilicet Simonem, hoc est, obediens, deinde Petrum, hoc est, firmum appellauit. Interrogatus enim de filio hominis, responderet de filio Dei, ut Augustinus monet.

§. 2. Petrus lingua Syriaca dicitur *ܐܬܝܢܐ* Kipha, quod Latini & Græci suo more immutant, & dicunt Cephas. Syrus ita habet *ܐܬܝܢܐ* danthhu Cipha, tu ille Cipha deinde *ܐܬܝܢܐ* Veghal hada cipha, & super hanc Cipha. Idem itaque est vocabulum Cipha, quod Petrus, & Petra dicitur Latinis. Itaque in Syro non est agnominatio, sed vnum omnino vocabulum, Cipha quod est Petrus, & Cipha super quam Ecclesia ædificatur: Quod fatentur Iunius Tremellus, Beza, Piscator, & qui minus rudes sunt Calvinistæ. Quin etiam *ܐܬܝܢܐ* & *ܐܬܝܢܐ* in Græca lingua idem sunt ut etiam Beza fatetur. Itaque cum dicitur: super hanc Cepham, intelligitur ille Petrus, de quo facta est mentio. Græcus non vertit *ἐπὶ τῷ πέτρῳ* sed *ἐπὶ πέτρῃ*, ut magis appositè metaphoram exprimeret: super saxo enim, non homine accommodatè ædificium fit ut dicitur.

§. 3. Porro futilia sunt, qua Danaus, Iunius, alii adferunt, Petra femininum non conuenire Petro Masculo, Syriacè Cepha præponi articulum, Petrum vnum esse lapidem, non sufficere in fundamentum, opus esse saxo magno, rupe, caute, monte.

Respondeo. Cum metaphorice Christus loquitur, non haberi verborum, sed rerum inter se similitudinem rationem: Homo dicitur belua, scelus, Virago, Caro, Apostoli, lux: Ioannes lucerna, duo testes in Apocalypsi duæ oliuæ. Ita Petrus Petra: nullo generum respectu. Deinde articulum præponi proprius nihil notat. Quin & Cepha rupes est, munitio, fortitudo. Ita Elias Iudæus etiam interpretatur & Rabbi Eliezer *שמועון בן חפץ היה אהר מזה למירון של ישוע* Simeon filius Cepha fuit vnus ex discipulis Iesu. Vbi fallitur ignorantia nostrarum rerum, cum vocat filium Cepha. Recte tamen exponit Christianorum sententiam cum addit de quo in Evangelio, quod ipsis est, nomen eius fuisse initio Simon Bariona. Iesum autem vocasse illam Cepha, quod fortitudinem & munitiorem significat, quod ille vocat *ܐܬܝܢܐ* & *ܐܬܝܢܐ* chozec mibzar, adiungit Chaldaice, seu in Thargum vocari *ܐܬܝܢܐ*, quod significat fortitudinem; & petram ideo innuisse Iesum, quod futurus esset caput fidei suæ, ideoque vocasse eum Cepham. Ita ille de Thisbi,

Ex quo planum est, Petrum, saxum, rupem
munitiorem, fortitudinem
significare.

QVÆSTIO II.

*Super quem ædificabit Ecclesiam
suam?*

§. 1. NONnulli, ut Hilarius lib. 6. de Trinit. Nysenus contra Iudæos Chrysostomus, Cyrillus, super fidem Petri & confessionem ædificari Ecclesiam aiunt. Sic Chytræus ait, omnes fideles Petros esse, & super eorum fidem Ecclesiam ædificari. Idille ex Origene, Tractat. in Mathæum.

Respondeo. Magnum aliquid Petro & nouum attribuit, hoc autem loco aliud fingi non potest, nisi quod super eum Ecclesiam ædificaturum dixit. Implet etiam contextus hoc indicat, Perinde est enim ac si dicat: Tu es Petrus, seu petra, super quem edificabo Ecclesiam meam. Quod ad Chytræum attinet, omnino stolidum est omnibus tribuere, quod ne quidem Apostolis omnibus Christus largitur. Beatum Petrum dicit, à patre ei reuelatum, ille solus locutus respondens Domino: Itaque solus etiam hic fundamentum ponitur, quamuis enim Chrysostomus & Augustinus arbitrentur, pro omnibus eum respondisse, non tamen sic intelligendum, quasi hoc ab omnibus commissum fuerit; nam non omnes beatos dixit: nam si omnium fuisset responsio eadem, etiam par fuisset præmium.

§. 2. Authores porro, qui super fidem, aut fidei confessionem ædificatum aiunt, non ita intelligendi sunt, quasi negent super Petrum ædificatam, fidem enim causam esse dicunt, cur super Petrum sit extitit. Sic Ambrosius lib. de resurrectione ait, non corpus Petri, sed fidem super aquas ambulasse. Non ignorauit verè corpus ambulasse, & cœpisse mergi, sed fidei fuisse efficaciam, non corporis proprietatem, causam confiderauit, non opus ipsum. Ita se ipsi Authores exponunt. Itaque super Petrum credentem & confitentem Ecclesiam censent ædificatam. Nam Hilarius, super hanc confessionis Petram, Ecclesie ædificatio est. Petra autem confessio, est Petra confitens; non ergo separat à Petra confessionem. Et Cyrillus lib. 4. de Trinit. Petram opinor nihil aliud quam inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit.

Non potest autem absolute super confessionem ædificari. Nam cum dicat Christus se ædificaturum, alio modo de fide Petri, quam de beata Virgine, Baptiste, aliorum fide loquitur, super eorum fidem aut confessionem non ædificauit sed super Petram ædificaturum pollicetur.

Deinde cum Ecclesia sit hominum cœtus, voceturque domus spiritalis, cuius fundamentum est Christus. Deinde Prophetæ & Apostoli, pari analogia dicendum est, cum Petrus sit Apostolus, vocandum fundamentum, eodem modo quo Prophetæ & ceteri Apostoli, videlicet, ut Petrus credens, confitens sit fundamentum, non separata fides, aut confessio. Hæc enim in causa debet par eius esse ratio. Licet hæc prærogatiua sit, quod fundamentum sit vicinior, quam cætorum & inter duodecim fundamenta primum. Hic & Ioannes in Apocalypsi ex lapidibus preciosis fundamentum esse videt, nempe homogenea & similia ipsi ædificio seu ciuitati.

§. 3. Non est tamen negandum, fidem Petri fundamentum suo quodammodo esse, seu potius rationem fundandi, aut causam cur fundamentum sit Petrus & Petri successores. Promisit Christus fidem eius non defecuram, vnde certitudo cõstat, eorum quæ à Pontifice in causa fidei, solenniter, atq; ex officio definiuntur. Ita Amb. l. 6. in Luc. c. 9. Chryl. hom. 55. in Matt. Cyrill. l. 4. de Trinitate.

§. 4. Ob-

§. 4. Obicit Surlinius se clauus accepit, ergo ab alio, non esse summus Paterfamilias.

Respondeo. Deum esse Patremfamilias, Petrum Oeconomum & Ianitorem. Non enim summus est Petrus absolute, sed hominum, in hoc officio: Ideo Vicarius Sibrandus Petrum improprie concedit dici fundamentum. Quod verum est quia spiritale fundamentum metaphorice est, & in hoc ipso genere fundamenti Petrus secundarium est fundamentum, sed in secundariis primum, cum enim sint duodecim fundamenta duodecim Apostoli, primum est Petrus. Sibrandus impium putat Ecclesiam edificari super Petrum, nam ad fidei eam super Christum, est Christo per fidem inferi, ac impium est dicere, eam Petro per fidem inferi: ac fallitur & fallit Sibrandus. Non enim Christo per fidem tantum insita est Ecclesia, sed ab eo regitur & sustentatur, alio autem modo à Christo, alio à Petro: alio modo nos Christus, alio Paulus saluos facit. Nihil magis Philosophiæ aut Theologiæ aduersum, quam cum eadem Deo & creaturis tribuuntur, censere eodem modo dici. Deus omnia regit, alit, Dominus, Pater, Iudex est. Patentes etiam & Principes regunt, alunt, Domini, Patres, Iudices sunt, sed longe alio modo. Sic Deus Ecclesiæ fundamentum est, & alia fundamenta sustentat. Terra fundamentum est ædificiorum, Deus terram sustentat. Hæc ergo omnia friuola sunt, quando constat, nomina creatori, & creaturarum communia, multo aliter de creatore, aliter de creaturis dici. Quod nemo in Categotiarum serie versatus ignorare solet.

§. 5. Insurgit Musculus, non posse ab vno totam Ecclesiam regeri, id ex Schmalcaldico libello Lutheri de potestate Papæ sumptis. Idem sensit Beza in Confess. artic. 21.

Respondeo. Posse omnino; constitutis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Presbyteris, vniuersis sit cura generalis, ceteri in parte sibi commissâ administrant, non vti Vicarii Pontificis, sed vti veri Episcopi. Quod si de singulari & immediata omnium cura agatur, ne vnum quidem Episcopatum vnus administare possit. Paulus certe in Corinth. 11. curam totius orbis Ecclesiæ gessit. Id vero in Monarchiâ etiam facilius est quam aristocratiâ, imo in plurius gubernatione, vix est possibile. quomodo ex omni orbe communiuntur patri omnes potestate præditi, ut res definiant: quin apparuit Romanum Imperium cum esset amplissimum rectus ab vno, quam pluribus administratum.

§. 6. Caluinus in Harmoniâ impetitur, sed exitationes, & verum. Porro ne longior sum, quam illud Pauli inter nos pro certo & confesso habendum sit, non alibi posse fundari Ecclesiam, quam in Christo solo, non sine sacrilegio blasphemio aliud fundamentum Papæ commentus est. Et cerè quam opere vel vno hoc nomine tyrannidem Papæ detestari nos docet, nullis verbis exprimi satis potest, quod in eius gratiam sublatum fuerit Ecclesiæ fundamentum, ut apertum in scriptis gerat animas abscorbeat.

Respondeo. Tum vero hominem deprauatum esse impropossibile, cum institutis & pietatis se cauere simulat. Primo enim pro certo & confesso accipio: solum Christum esse Ecclesiæ fundamentum, seu lapidem angularem inum, cui tota structura nititur. Deinde hoc fundamentum, æternum, immobile, omnipotens esse. Tertiò alia esse fundamenta secundaria, creata, ædificium sustentantia, quæ tamen & pars sunt ædificii, & primo fundamento inniuntur. Nam Apocalyp. 21. vers. 14. Duodecim ciuitatis Ierusalem nomina fundamenta sunt & illis inscripta duodecim nomina Apostolorum. Quo loco fundamenta vocantur Apostoli, cura nomina eorum inscripta sint

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

lapidibus preciosis. Nec mirari decet, si Apostolos fundamenta dicat Ioannes; cum Pignetius, quem citat in eo loco Augustinus Marloratus, dicat Apostolos & omnes verbi Dei ministros illis fundamentis significari: & causam reddit: Sunt enim inquit in medio populi puritate doctrinæ, & vita integritate, diuina claritatis splendorem emittentes.

Quia Marloratus per fundamenta ceterum piorum intelligit, vel etiam yralii, promissiones & testimonia Dei. Certum igitur esse debet, manente primo, summo, immenso, increato immobili, æterno, immutabili, primo, inquam, fundamento Christo, alia quædam fundamenta infinitis modis minora in eodè esse edificio. Nec sacrilegam esse blasphemiam eorū, qui id agnoscunt, qui Petrum, Linum, alios, fundamenta agnoscunt, non magis à Christo in alium transferre fundamentum, quam eos, qui in ministros Calvinianos conferunt. Cur igitur sacrilegum os, maledicit sanctis Patribus, qui fundamenta secundaria agnoscunt, & non aduertit se Ioannem acculare, imo in Spiritum sanctum blasphemum esse, qui duodecim fundamenta recenset. De loco ad Ephes. 2. vers. 20. dicam, cum eam Epistolam explicauero. Hoc tantum modo moneo, non esse Papam, aut Monarchas, qui Petrum fundamentum in primi appellant sed sanctissimos martyres Cyprian. Ep. 40. Deus vnus est, & Christus vnus & vna Ecclesia, & Cathedra vna super Petrum Domini voces fundat. & Epistol. 71. Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem edificauit Ecclesiam suam, &c. Eadem de vnitæ Ecclesiæ. Sic Marcellus 1. Epistol. Hilarius in Psalm. 131. Petrum primum filij Dei confessorum appellat. & capite decimo sexto in Matthæum. O in nuncupatione noui nominis felix, & Ecclesiæ fundamentum. Ambrosius lib. vnde de mirabilibus. Petra dicitur (Petrus scilicet) Eo quod primum in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam Saxum immobile, totius operis Christiani compagem, molemque continet. Et sermon. 68. Sic Hieronymus lib. 1. aduersus Iovinianum. lib. 1. aduersus Pelag. capit. 4. Augustinus sermon. 5. de Petro & Paulo. Dignum qui edificandis in domo Dei populi lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum. Athanasius Epistol. ad Felicem, Concilium Nicenum primum, can. 39. Basilus ad cap. 2. Itai. & lib. 2. contra Eunomium; Ceteros omitto, hos paucos citavi, ut appareat, quales & quantos viros sacrilegæ blasphemie reos faciat.

§. 7. Wittakerus alio etiam argumento vituit. Causa efficiens non est fundamentum; quia exterius aliquid est, fundamentum edificio internum est. Petrus est causa efficiens ædificii, non igitur fundamentum.

Respondeo. In Metaphoricis & archiectum & fundamentum idem esse. Deus mundum architectatus est, eius fundamentum est. Quod si cum Wittakerus sentiendum est, Christus esse fundamentum non potest, nam ipse sibi Ecclesiam parauit, ille edificauit. Par ratio est in capite; Christus est caput Ecclesiæ, & tamen architectus Ecclesiæ. Nec timentum tamen est, ne non possit esse caput, si sit architectus, aut non sit architectus, si sit caput. Hæc in controuersiam vocare est Sophisticen odiosam veritatis vexatrice exercere, & Theologiam pueris ridendam proponere. Quis enim si audiat Romulum esse Romanæ Imperii conditorem, non mox eodem modo argumentabitur: ergo caput Imperii non est, non rex igitur; sed regno suo exterius. Apagè eiuscemodi apinas: anilia sunt deliramenta.

§. 8. Fundamentum esse Petrum Musculus negat. Non potest esse, inquit, fundamentum, qui moritur; nam

Qui Petrus
vocentur
damurum.

Adm. G. W. 117
Euangelia
C. 11

Fundamen
ti & archi
tectus idem.